

---

**R**EGESTORUM BOICORUM quatuor jam sunt, cura C. Heinrichi de Lang, emissa volumina. Agitur nunc de continuatione operis quod jubente rege Maximiliano feliciter inceptum, protegente Augustissimo ejus Successore, amplius provehendum est. Postquam enim ad Regem nostrum Ludovicum fasces imperii fuerunt delati, etiam huic operi magno animo favens, et voto communi annuens, literis mandavit ut Regesta documentorum quae supersunt ad illustrandas res boicas typis evulgentur. Quod opus primo Baroni de Hormayr et nobis fuit injunctum, qui — cum ille paullo post ad altiore dignitatem fuerit promotus, sollicite curavimus, ut primo quoque tempore mandata Augustissimi Regis possint adimpleri.

En igitur quintum regestorum volumen, diplomata continens ab anno millesimo tricesimo primo, usque ad annum millesimum tricentesimum vicesimum. Noscitur jam ratio, scopus et methodus hujus operis, sua mole ingentis, et per thesauros rerum memorabilium qui in Archivis regiis asservantur, ad illustrationem historiarum aptissimi. Libros — documenta quae hic sunt in summas redacta, non pauca continentes, adnotavimus quidem, sed eo minus anxie prosecuti et perscrutati sumus, quod directorium generale omnia documenta Bavarica jam evulgata continens,

maxima ex parte jam congestum, his ad finem perductis registis in lucem emittere propositum firmum fixumque. Et ne incuriae exprobrationem incurramus, formulas Acti et Dati in Originalibus nostris obvias saepissime discrepare ab illis quae sunt expositae in laudatis libris, lectorem admonere duximus. Nihil amplius superest quod de hoc volumine quinto, seu continuationis primo, speciatim moneamus, et quasi superfluum meminisse videtur, tantam suppeditare copiam rerum, ut et sequentia volumina nulla interposita mora possint in lucem publicam emitti.

Dab. Monachii 2. Febr. 1830.

*M. B. de Freyberg.*